

3. Equites Melitenfes hospitalitatis exercendæ, & contra infideles bellandi gratia instituti funt. In bellis, quæ inter Principes Christianos geruntur, ad arma arripienda offerre se minime debent. Neque in caufis criminalibus judicent; neque interfint confillo bellico, in quo agitur de condemnatione alicujus ad mortem, vel ad mutilationem. *Fromageau.*

CASUS IX. Potestne Eques Melitenfis partem reddituum ex patrimonio fibi in professione refervato impendere ad aquirenda bona, quorum ufufuctu ad dies vitæ gaudeat, post mortem vero ea relinquat cuidam confanguineo, cujus nomine ad contractuum ratihabitionem ufus est?

3. Post professionem fuam absolute non potest difponere talis Eques de bonis vel ex parifimonia fuâ vel alio modo aquisitis; nec de pensionibus, nec de Beneficiis fuis, in cujuscumque favorem id fiat; vere enim Religiofus est, nec habet dominium bonorum, quæ poffidet. Hinc ille, qui nomen ac perfonam fuam commodasset ad ejusmodi contractus ineundos, acta in manus Quæstoris Ordinis confignare debet, ut post mortem Equitis ad Ordinem redeant. *Fromageau.*

CASUS X. Eques Melitenfis non professus fuit provifus de Beneficio. Potestne illud poffidere?

3. Non potest absque dispensatione Pontificia; sique illud sine dispensatione poffidens vadat in bellum, Beneficium devolutioni fubjacet. Hinc omnes fructus exinde perceptos tenetur restituere. Et si ipsi a patre fuo necessaria in bello fuissent fubministrata ex redditibus Beneficii, pater hæc omnia teneretur restituere; cum expensæ istæ sumi debuissent ex bonis propriis. *De Lamet.*

CASUS XI. Potestne Commendator Melitenfis Communitati cuidam confignare summam pecuniæ, ea conditione, ut hæc summa pleno dominio remaneat penes Communitatem, quæ autem confignanti ad dies vitæ annuam præbere pensionem teneatur?

3. Cum tantum fit ufufuctuarius bonorum fuorum, non potest ejusmodi contractum inire. Nihilominus si intisset talem contractum dando 5000. florenos, ac exigendo partem decimam in pensionem convertendam, contractus iste non foret ufurarius. Advertendum tamen, in Gallia ejusmodi contractus solum inire posse cum Hospitali communi Parisiis, cum Hospitali Dei, cum domo incurabilem, ac eum tribunali pauperum, exclusis omnibus aliis communitatibus. *De Lamet.*

CASUS XII. Potestne Eques S. Lazari rei militaris præfecturam suscipere, vi cujus tenetur morti adjudicare milites hanc pœnam promeritos?

3. Equites S. Lazari, etsi conjugati, sunt tamen veri Religiosi; hinc non possunt hoc aut simile munus exercere. Si sententia mortis a tali Equite lata executioni fuisset data, Eques fieret irregularis, nisi dispensationem haberet Pontificiam aut privilegium, vi cujus tale munus posset obire. *Fromageau.*

## EUCCHARISTIA.

Per plures Authores, & etiam Catechismi prolixiores mentionem faciunt de Eucharistia tam quoad Sacramentum quam quoad Sacrificium.

CASUS I. Quidam Parochus absque ulla necessitate sibi ipsi publice administravit Eucharistiam.

3. Propterea non incurrit censuras, irregularitatem aut alias pœnas canonicas; commisit tamen grave peccatum, de quo pœnitentiam agere debet. *Fromageau.*

CASUS II. Satisfitne præcepto Ecclesiæ, præcipientis omnibus Fidelibus communionem saltem una vice per annum peragendam, Communicando indigne?

3. Communionem sacrilega non satisfit Ecclesiæ præcepto; & hæreticum est dicere, nondum baptizatos teneri ad recipiendam Eucharistiam saltem una vice in sua vita. *De Lamet.*

NOTA. De insufficientia communionis sacrilegæ extat propositio damnata. V. *Communisio.*

## EXAMEN.

1. In hoc loco Examen sumitur in tali sensu, in quantum Superiores tenentur examinare quoad capacitatem eos, qui sacris initiari Ordinibus petunt, aut facultatem confessiones audiendi, verbum Divinum prædicandi, aut denique possessionem Beneficii adeundi obtinere desiderant. Necessitas prævii examinis in dictis casibus fundatur in eo, quod ignorantia origo sit omnium vitiorum, & errorum; quæ ignorantia multo magis periculosa est in Clericis quam aliis.

2. Duplex distinguenda est capacitas, interior seu probitas morum, & exterior, quæ est scientia. Literæ testimoniales authenticæ demonstrant priorem, examen vero detegit



posteriorem : istud examen præ primis instituendum circa ea, quæ Sacramenta concernunt.

3. Illi, qui obtinere beneficium a Papa, *in forma dignum*, non excipiendi sunt a tali examine; Papa enim semper supponit meritum, dum suas concedit gratias.

CASUS I. *Lysias* per decennium jam docuit Theologiam in celebri Universitate, obtenta igitur parochia in Curia Romana se præsentem stitit Episcopo ad obtinendam ab eo vidimationem (*visa*) & sic adeundam possessionem Beneficii. Episcopus illum voluit subicere examini; *Lysias* vero per hoc offensum se reputans petiit testimonium repulsæ eo fine, ut provisionem petere possit a Metropolitano, aut appellare de abusu.

3. Tuta conscientia non potuit recusare examen, cui ab Episcopo jure subjectus fuit; nec ullus obtento repulsæ testimonio usus esse potest. Conformis est hæc responsio decretis Concilii Tridentini, fundaturque in eo, quod contingere possit, ut ejusmodi Presbyter, licet doctissimus, foveat sententias periculosas, aut, et si quoad theoriam parochialia probe intelligat, nesciat tamen ea, quæ ad praxin ac ministerium parochiale spectant, *Pontas*.

CASUS II. *Guillelmus* parochia provifus *per obitum* in Curia Romana stitit se Episcopo ad obtinendam vidimationem (*Visa*); ast suam ob ignorantiam ac incapacitatem in examine ab Episcopo rejicitur. Obtento proin rejectionis testimonio accedit Metropolitanum, & dum alium sui loco ad examen substituit, obtinet vidimationem. Adiens jam possessionem parochiæ, per triennium curam pastorem exercet, in eadem persistens inhabilitate, ob quam rejectus est ab Episcopo.

3. Nec *Guillelmus* nec substitutus pro examine incurrent censuram aut irregularitatem; cum ejusmodi pœna in taliter delinquentes lata non sit. Peccarunt tamen gravissime in re summi momenti turpiter decipiendo Ecclesiam, & tenentur ad rigorosam pœnitentiam. *Guillelmus* insuper, cum in Beneficium sese intruserit, incurrit pœnas intrusorum, quæ sunt privato Beneficii ac obligatio restituendi fructus perceptos. *Pontas*.

Vide *Provisio de Beneficio. Visa*.

## EXCOMMUNICATIO.

1. Potestas excommunicandi data est Ecclesiæ in persona primorum pastorum. Est autem Excommunicatio in sensu proprio

prilo ac hodieum usitato *Anathema*, seu *separatio a communione fidelium*. Theologi eam definiunt: *censura ecclesiastica privans baptizatum communione Sanctorum ex toto vel ex parte*.

2. Duplex distinguitur Excommunicatio, major scilicet & minor. Major nunquam incurritur nisi per peccatum mortale, privatque participatione bonorum spiritualium fidelibus communium tam activa quam passiva. Minor tantum privat bonis istis ex parte. Major Excommunicatio vel infligitur a jure, & vocatur *Excommunicatio a jure*; vel fertur per sententiam Superioris, & dicitur *Excommunicatio ab homine*, & ab hac solum absolvit ille, qui eam pronuntiavit; ab illa a jure autem absolvere nequit, nisi per Canones illi reservata sit. Excommunicatio a jure semper enunciatur sub terminis generalibus; altera autem ab homine lata sæpe est particularis, & afficit tantum unam, aut determinatas personas. Excommunicatio a jure durat semper; quæ autem ab homine est, cessat, dum judex moritur aut suo privatur officio.

3. Excommunicatio alia dicitur *lata sententia* & alia *ferenda sententia*. Prior actu incurritur, quamprimum delictum sub Excommunicatione prohibitum committitur. Posterior tanquam comminatio adhibetur ad impediendam actionem illicitam, estque instar comminationis.

4. Quantumcunque justa videatur Excommunicationis causa, censura tamen hæc pronunciata, antequam reus sit monitus, terque personaliter citatus, injusta reputatur ac nulla, excepto casu, quo reus dolo uteretur aut violentia. Fieri potest, Excommunicationem esse validam, & tamen injustam, ex defectu scilicet cujusdam formalitatis, licet haud absolute essentialis, aut ex aliis rationibus.

5. Metus Excommunicationis injustæ nunquam impedire debet ab implendis iis, quæ sunt legis naturalis ac divinæ. Quando injustitia ac nullitas Excommunicationis probari nequit, in pace & humilitate ferenda est; si vero probari potest, omnis conatus adhibendus, ut ab ea quis absolvatur.

NOTA. Ne propositio hæc concordet cum damnata propositione 91. Quesneli, intelligi debet de metu Excommunicationis, non proprio solum, sed etiam aliorum Doctorum Catholicorum, virtute ac doctrina insignium judicio evidenter injustæ.

6. In casu Excommunicationis ab homine judex, qui eam tulit, tenetur sententiam judiciali registro ingerere, causam censuræ exprimere, ac intra mensem reo, si petat, tradere



apographum, & quidem sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ & a divinis officiis, quam violare nequit, quin irregularitatem incurrat soli Papæ reservatam.

7. Episcopus aut Officialis nunquam excommunicare possunt integram communitatem, imo nec integram particularem familiam; nisi evidenter constet, omnia membra communitatis aut familiæ rea esse peccati, quod Excommunicatione mulctari meretur.

8. Episcopi, eorumdem Vicarii Generales, si ipsis hæc potestas terminis formalibus concessa est, Officiales ac omnes alii Prælati, qui habent jurisdictionem contentiosam, secularem aut regularem, excommunicare possunt, nisi ipsimet sint excommunicati denunciati, aut suspensi a jurisdictione. Sententiam tamen Excommunicationis ferre non possunt extra limites sui territorii.

9. In Gallia Officiales tribunalium regionum non subjacent jurisdictioni Ecclesiasticæ quoad ea, quæ concernunt obligationes Officiorum suorum; & excommunicari non possunt, sive ab Episcopis, sive ab ipso Papa; idque ex indubitato hoc principio eruunt: Superior, quicumque demum sit, non potest judicare aut punire, nisi jurisdictioni suæ obnoxios.

NOTA. Supponunt Galli, & eorum jura sectantes, Papam nec directam, nec indirectam jurisdictionem habere circa temporalia Regum ac Principum.

CASUS I. Officialis Scutariensis Monitorium edidit contra quemdam privatum excommunicandum; & præcepit, ut unica tantum fiat publicatio loco trinæ.

3. Sententia Excommunicationis post istam publicationem fuit valida & etiam canonica, si declararit, hanc solam fieri monitionem, & legitimam habuerit rationem non nisi unicam faciendi monitionem, ac inter monitionem & ipsam sententiam reliquerit intervallum sex dierum. Si vero legitima sic agendi ratio defuit, sententia, quamvis valida, est tamen quoad formam injusta. Innocentius III. & Gregorius X. tres monitiones Canonicas præmittendas statuerunt, tum ut reo saniora capiendi consilia tempus relinquatur, tum ne judices præcipitent sententiam. Gregorius X. tamen excipit casum urgentis necessitatis, in quo intervallum sex dierum servari haud deberet; ut si occurrendum foret enormi scandalo causato in Ecclesia. Vide infra Cas. 9. Pontas.

CASUS II. Collegium S. Amandi, quod præter Superiorem octo Professores, viginti alumnos & quinquaginta Scholasti-

asticos numerabat, Ordinario visitare volenti insultavit; quapropter Episcopus contra totam communitatem pœnam Excommunicationis ferre parat, & in terminis generalibus omnia illius membra ista pœna plectere cogitat.

3. Tuta conscientia non potest ferre censuras in omnes Collegii personas; præsumendum enim est, dari inter illas quasdam innocentes, quas injuste puniret. Pontas.

CASUS III. Omnes personæ, e quibus certa quædam communitas constat, efficaciter cooperatæ sunt ad quemdam actum, qui ex sua natura & circumstantiis peccatum mortale est, exempli gratia, Superior, Professores & Scholastici cum suis domesticis simul attraxerunt navim mercibus refertam, quas direptas inter se diviserunt.

3. Judex ecclesiasticus non potest generaliter excommunicare totam Communitatem, cum facile fieri possit, quosdam ex ea esse innocuos a peccato mortali; quod tamen requiritur, ut quis communionem fidelium privetur. In Universitatem vel Collegium, inquit Innocentius IV. proferri Excommunicationis sententiam prohibemus, cum non nunquam contingeret, innocuos sententia hujusmodi irretiri. Pontas.

CASUS IV. Daniel mercator gemmarius, cum illi ad nundinas ituro in diversorio surreptæ fuerint gemmæ valoris 7000. vel 8000. librarum; ad judicem querelam detulit de furto, & a Vicario generali diocesano obtinuit Monitorium, quo trinis vicibus publicato excommunicatus est furti conscius. Quidam hujus Regionis celebris advocatus scit furem; sed credit, se non teneri ad illum manifestandum; cum existimaret, Vicario generali non competere potestatem in simili casu excommunicandi, qui soli Episcopo reservatus est juxta Concilium Tridentinum, & potestatem excommunicandi pertinere ad causas, ut vocant, majores, quæ consequenter nemini communicari possit, nisi specialiter exprimatur.

3. Si Vicario generali in sua provisione collata est potestas excommunicandi, dubitari non potest, Advocatum vere excommunicatum esse; & duæ rationes, quas ille pro se affert, nullius sunt considerationis: Concilium enim non prætendebat excludere nisi Archidiaconos & Prælatos inferiores, non autem Vicarios generales, qui cum Episcopo fictione juris una eademque persona reputantur quoad authoritatem & jurisdictionem episcopalem. Licet igitur potestas excommunicandi sit causâ major, sufficit tamen, quod Episcopus eam communicarit suo Vicario generali. Pontas.

CASUS V. Philistus Parochus prætendit, se, quando ex Cathedra dicit: nos denunciamus excommunicatos &c. proprio



& privato nomine loqui; & contendit, omnes Parochos & que potestatem habere excommunicandi, ac Episcopum.

§. Enormiter errat Philitus; solum enim nomine & auctoritate Ecclesie loquitur, quæ tales excommunicatos esse declarat. Nullus Parochus de jure communi juxta disciplinam Ecclesie universalem potestatem excommunicandi habet; sed ista potestas Clavium soli competit Episcopo. Juxta Tillemontium & non nullos alios Parochi quidem antiquitus gaudebant potestate excommunicandi; hodie tamen certum est, eam potestatem ipsis non competere, idque merito; quia decet, ut Excommunicatio, utpote poena summa ac gravissima; non nisi a tribunalibus supremis infligatur. *Pontas.*

CASUS VI. Bernardus justam non minus causam habet excommunicandi nefarium quempiam, quam potestatem vi jurisdictionis contentiosæ Beneficio suo annexæ: attamen ipsemet nominatim ac publice excommunicatus est aut suspensus.

§. Qui ipsemet nominatim excommunicatus est, non potest excommunicare alium, ut docent S. Thomas, Alexander II. & Innocentius III. Si vero non fuisset denunciatus, jurisdictione suo non excidisset. Si solum fuisset suspensus ab Ordine, jurisdictionem exercere posset; & si tantum suspensus foret a jurisdictione, posset exercere actus Ordinis, non autem jurisdictionis. Si denique ab utroque esset suspensus, nec Ordinis nec jurisdictionis actum exercere posset. *Pontas.*

CASUS VII. Cæcilianus, qui ex Dignitate sua jus obtinet ferendi censuras, excommunicare cogitat suum, aut alium Superiorem sibi æqualem.

§. Nec licite nec valide id fieri potest. Ratio, quam affert D. Thomas, est; quia nemo potest excommunicare nisi eum, in quem jurisdictionem habet ut judex: Cæcilianus autem eam nec habet in suum Superiorem, nec in æqualem. *Pontas.*

CASUS VIII. Fridericus Episcopus in Britannia, advertens, quod regii provincie præfecti non obstantibus comminationibus suis exequi negligant edicta regia, per quæ festis solemnibus nundinæ prohibentur, constitutionem edidit, qua sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendæ edictorum horum executionem exigit.

§. Episcopalis hæc constitutio non est legitima: adversatur enim juribus Gallie a quinque jam sæculis & ultra universaliter receptis; ut videre est in Probationibus libertatum Ecclesie Gallicanæ. *Pontas.*

NOTA.

NOTA. In Germania quoque Princeps secularis haud æquanimiter ferret, si observatio legum a se latarum pro bono Dei & Ecclesie, ac salute animarum privata auctoritate urgeretur ab Episcopis sub interminatione Excommunicationis: ipsimet enim Principi Legislatore in promptu sunt media efficacissima legibus suis, si velit, vim conciliandi ac firmitatem. Certum quidem est, per ejusmodi nundinationes dies festos ac Dominicos profanari, religiosaque cultui Deo hisce diebus exhibendo plurimum detrahi non sine gravissimo animarum detrimento; aliud tamen ad tollendos hosce ac plures alios abusus perniciosissimos, in corruptelam morum Religiosisque despectum vergentes, delicato maxime & plerumque litigioso hoc Sacerdotium inter & Imperium sæculo, Episcopus conferre vix poterit, quam ut Principi Præfectorum incuriam, contemptum legum, Religionisque dispendium zelo apostolico ob oculos ponat, propriumque malis hisce medendi studium offerat. Vide Prænot. n. 9.

CASUS IX. Palemon Episcopus excommunicavit Achillem nec citatum nec auditum ob enorme ac scandalosum crimen, de quo quinque aut sex testes omni exceptione majores deposuerant.

§. Lata in Achillem sententia est nulla. Ita Innocentius III. Alexander III. Innocentius IV. & Alexander IV. *Ubi nulla priemissa fuit admonitio, inquit Cabassutius, simul erit injusta & nulla censura. Pontas.*

CASUS X. Hierocles habet jurisdictionem ecclesiasticam in foro contentioso; sed necdum constitutus est in Sacris.

§. Potest exercere suam jurisdictionem, & pronunciare sententiam Excommunicationis in reum. Requiritur quidem Presbyteratus ad ligandum & solvendum in foro interno Poenitentiae, non autem in foro externo & contentioso, ut docent S. Thomas & Decretales plurimum Pontificum. Regno Gallie peculiare est, quod juxta recepta jura, Edictum Blesense, & declarationem Conventus Cleri Gallicani Officiales Episcoporum debeant esse Sacerdotes; quod si non sint, de omnibus eorum sententiis est locus appellationi tanquam de abusu. *Pontas.*

CASUS XI. Uladislaus simplex Canonicus Posnanie, nondum Presbyter, cum nominatus esset a Rege Polonie ad Episcopatum, quinto aut sexto post nominationem die excommunicavit primum Archidiaconum suæ Ecclesie sibi insultantem.

§. Obtena necdum a Papa confirmatione Uladislaus nullam habuit jurisdictionem; & ideo lata ab eo Excommunicatio est ipso jure nulla. Observandum hic venit 1. Quod ista jurisdictio ac potestas excommunicandi possit delegari cuivis Clerico vel tonsurato solum; excipe solam Galliam, ubi id non procedit. 2. Superior ecclesiasticus potestatem ferendis



di censuras nunquam potest committere laico. 3. Episcopi in partibus, iique, qui resignarunt Episcopatum suum, neminem possunt excommunicare; quia nullam habent jurisdictionem ordinariam. *Pontas.*

CASUS XII. Demetrius, Episcopus Tornovæ in Thessalia, ejectus a Schismaticis se recepit Lorissam, cujus Suffraganeus est, ibique contra præcipuos suæ ejectionis authores agens quatuor eorum maxime reos excommunicavit.

β. Quamvis juxta regulam generalem Episcopus communiter loquendo nullum jus habeat exercendi suam jurisdictionem contentiosam extra suam Diocesim, nihilominus tamen, cum a suis propriis dioecesanis vi sit ejectus, potest eos excommunicare constitutus in alia Diocesi; censura igitur a Demetrio lata est valida. Ita statuit Clemens V. in Concilio Viennensi. Addit hic Papa, vel potius Concilium 1. Episcopus sic ejectus potest tanquam testes illatæ sibi violentiæ citare eos, qui criminis participes non fuerant, dummodo ultra duas dietas non distent a loco, ubi in præfens moratur. 2. Episcopus in hunc statum redactus ab Episcopo dioecetano petere debet licentiam procedendi contra reos, quæ et si denegetur, nihilominus processum instituire ac continuare poterit. 3. Omnia acta & desuper judicata publicanda sunt in vicinis Diocesibus. *Pontas.*

CASUS XIII. Jovius Episcopus Luceorientis commorans in Diocesi Pofnanjensi in omni juris forma pronunciavit sententiam Excommunicationis, aut suspensionis contra Clericum suæ Diocesis.

β. Censura hæc absolute nulla est, nec ligat eum, in quem pronunciata est: Episcopus enim extra suam Diocesim nullatenus habet jurisdictionem contentiosam, præcedentem casum si excipias, sed solum voluntariam. *Pontas.*

CASUS XIV. Florentinus commisso notabili furto fuit excommunicatus a Superiore ecclesiastico, qui tamen ex mero odio vindictæque studio sententiam hanc tolerat.

β. Si formalitates a legibus præscriptæ observatæ fuerunt, Florentinus vere excommunicatus est; licet Excommunicatio ex parte excommunicantis ratione motivi injusta sit. Si autem sententia fuisset injusta ex eo, quia delictum non fuit peccatum mortale, vel quia formalitates ad valorem requisitæ observatæ non fuerunt, Florentinus re ipsa non foret excommunicatus, licet in foro externo pro tali habeatur. Et in hoc casu Presbyter posset celebrare, quin irregularitatem incurreret: Teneretur tamen in conscientia a celebratio-

ne abstinere in locis, ubi nullitas sententiæ non est nota. *Pontas.*

CASUS XV. Dorotheus Provincialis cujusdam Ordinis exempti, adhibitis frustra ad emendationem Religiosi subditi mediis ordinariis, eum tandem servata juris forma excommunicavit, ut saltem ex hac humiliatione ad meliorem frugem rediret.

β. Excommunicatio hæc est valida; id quod non minus constanti usu receptum, quam ipso jure fundatum est, quod Superioribus regularibus jurisdictionem tribuit in foro externo in suos subditos. *Pontas.*

CASUS XVI. Recaredus vir valde potens, persecutor Cleri, dum viveret, ut tueretur impiam suam vitæ licentiam, mortuus tandem est impœnitens; & ocyus post mortem excommunicatur ab Episcopo.

β. Sumendo Excommunicationem in sensu proprio, evidens est, mortuum excommunicari non posse; quamvis ejusmodi Excommunicationis exempla haud desunt in historia ecclesiastica. *Pontas.*

NOTA. In rigore loquendo sententia ab Ecclesia pro aut contra mortuos prolata nec vera est absolutio nec vera Excommunicatio. 1. Quia Excommunicatio in tota sua latitudine accepta privat Christianum communionem interiori & exteriori Ecclesiæ, & absolutio utrique eundem restituit. 2. Excommunicatio contra mortuos prolata eos solum indirecte, vivos autem directe afficit, quibus Ecclesia prohibet, ne illis varia pietatis subsidia applicent. 3. Absolutio collata defunctis non cadit directe in eos: ad dandam enim canonicè absolutionem requiritur, ut censura justa ligatus de culpa, per quam sibi censuram attraxit, sit contritus, eamque vel jam actu diluerit, vel cautionem præstiterit eam quantocyus diluendi, satisfactionemque præstandi. A defunctis autem nil horum expectari poterunt. C. A.

CASUS XVII. Audentius & Leander Presbyteri cum aliis tribus amicis recreantes sese, in calore disputationis adeo commoti sunt, ut Audentius ex ira Leandro influxerit alapam, de qua tamen in continenti petiit veniam. Audentius adeo sibi persuasit, actionem suam non esse mortaliter peccaminosam, utpote ex defectu sufficientis deliberationis, ut non dubitavit eodem aut altero die mox subsequente multorum pœnitentium confessiones excipere.

β. Si Audentius vere in primo iracundiæ motu sic egit absque deliberatione sufficiente ad constituendum peccatum mortale, nec Excommunicationem nec irregularitatem incurrit. Ast quia justa de hoc dubitandi ratio subest, & in foro externo præsumptio stat pro peccato mortali, adendum est



est Episcopus aut Pœnitentiarius pro absolutione ab Excommunicatione & rehabilitatione ab irregularitate. Ratio est; quia in ejusmodi casibus dubiis merito timendum, maxime dum agitur de salute, & amplectendum, quod est securius, ut ait Innocentius III. *In dubiis via est eligenda tutior. Pontas.*

**CASUS XVIII.** Bartholomæus juratus cujusdam Presbyteri inimicus commisit aut consuluit Georgio pariter dicti Presbyteri inimico, ut eum baculi ictibus excipiat, quod & Georgius executus est cum violentia haud immodica. An Bartholomæus cum Georgio Excommunicationem incurrit?

ꝛ. Bartholomæus multo magis hac poena dignus est quam Georgius; quia hujus violentiæ, qua & ipse Georgius Excommunicationem contraxit, causa extitit. Alexander III. & Innocentius III. id terminis formalibus declararunt in suis Decretalibus. Bonifacius VIII. vult insuper, solam approbationem actionis commissæ sufficere ad incurrendam Excommunicationem latam in Canone: *Si quis suadente.* Hæc responsio denique fundatur in regula juris, quæ dicit: *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum. Pontas.*

**CASUS XIX.** Lambridius & Marius Presbyteri & Canonici in pleno Capitulo adeo disceptarunt, ut tandem Lambridius Breviarium suum in caput Maril impegerit, qui tamen ictum manibus excepit. Estne excommunicatus Lambridius?

ꝛ. Videtur esse excommunicatus; quia juxta Navarrum dicitur manus violentas iniicere Clerico; qui immediate vel mediante instrumento inticit; Et per consequens qui cum percussit ense, baculo, aut aspergit pulvere vel aqua, saliva aut alia re simili. Non tamen Papæ reservata est hæc Excommunicatio, sed solum Episcopo; quia juxta Clementem III. & Cajetanum Cardinalem ejusmodi Excommunicatio non est reservata Papæ, nisi dum percussio est enormis. *Pontas.*

**CASUS XX.** Paschasius & Paulus, unus Subdiaconus & alter Diaconus altercantes, a verbis ad verbera pervenerunt; ac Paulus in capite vulneratus cum effusione sanguinis conquestus est apud judicem loci.

ꝛ. Uterque est excommunicatus; Excommunicatio tamen non est reservata Papæ, sed Episcopo, a quo petenda est absolutio; & quia Paulus querelam detulit ad Judicem, consultum erit, ut & Paschasius judiciale testimonium petat obtentæ absolutionis, ne a Paulo successu temporis de novo provocari possit ad Judicem. Ad solvendos plures hujusmodi casus principiorum imitar servire poterunt sequentes duæ

re-

regulæ. 1. Peccatum hoc, etiam publicum, non est reservatum Papæ, si percussio, etsi in se mortaliter peccaminosa, non est notabilis, id est, si nulla secuta est mutilatio, læsio oculi vel dentis, aut vulnus notabile. 2. Nec Papæ reservatum est, si percussio, quantumlibet gravis esse supponatur, sit occulta. Censetur autem adhuc occulta, licet accusatio apud Judicem jam fuerit facta; dummodo, ut in præsentibus casu contigit, contestatio litis secuta non fuerit. *Pontas.*

**CASUS XXI.** Franciscus publice percussit Prebyterum; & jam agitur in judicio de reparatione criminis & denunciatione Excommunicationis. Rogat interea, dum processus finiatur, admitti ad perceptionem Sacramentorum, spondetque se plene satisfacturum Presbytero, Ecclesiæ ac Publico ad arbitrium Episcopi.

ꝛ. Ante obtentam absolutionem ab Excommunicatione non potest admitti ad participationem Sacramentorum. Imo nec potest absolvi ante sententiam definitivam nisi autoritate Papæ, ut ex variis Decretalibus constat, in specie ex quadam Innocentii III. Obtenta absolutione jam nil obstat, quominus admittatur ad Sacramenta; dummodo vere poenitens videatur & paratus ad omnem satisfactionem acceptandam. *Pontas.*

**NOTA.** Cum in regionibus Roma valde diffitis Papa tam cito adiri non possit, requiri potest facultas absolventi ab Episcopo pro solo foro interno sine publica participatione Sacramentorum.

**CASUS XXII.** Hermodorus Junianum Subdiaconum sibi obvium habens, quem nominatim & publice excommunicatum sciebat, culque jam pridem infensus erat, convitiis lacessitum percussit, sibi persuadens, se illum percutere posse, quin Excommunicationem incurrat.

ꝛ. Incurrit Excommunicationem: censuræ enim Clericos non privant suis privilegiis. *Pontas.*

**CASUS XXIII.** Phocion Vir nobilis a quodam Eremita verbo injurioso offensus illum percussit baculo.

ꝛ. Si iste Eremita ex eorum numero est, qui adstricti sunt alicui Regulæ ab Ecclesia approbatæ, & legitimo sub sunt Superiori, Phocion Excommunicationem incurrit: si vero eorum e numero est, qui solo habitu Eremitæ induti sunt, & Privilegio Clericorum non gaudent, Phocion non incurrit Excommunicationem. *Pontas.*

**NOTA.** Vide infra Casum 88.

**CASUS XXIV.** Diomedes & Radulphus, viri nobiles, in eadem Parœcia commorantes, inter se de venationis jure

*Dist. Cas. Consc. Tom. I. S s discep-*



disceptantes duello congressi sunt, quilibet cum suo patris: nullus eorum quidem occubuit, ambo tamen fuerunt vulnerati. Ad tempus Paschale se sistunt suo Parocho pro peragenda confessione; Parochus vero eos audire renuit dicens, eos incurrisse Excommunicationem majorem.

ꝛ. Parochus sufficientem habuit rationem, quod eos miserit ad Superiorem Majorem pro absolutione obtinenda; incurrerunt enim Excommunicationem ipso facto, qua poena plura Concilia ac summi Pontifices duellantes affecerunt, eosque, qui in duello occubuissent, tanquam suicidas habendos esse censuerunt, ac non solum fidelium oblationibus, sacrificiis ac precibus, sed & cadavera eorum ecclesiastica sepultura privarunt. Eandem censuram tulit Clerus Gallicanus anno 1654. congregatus. *Pontas.*

NOTA. Decreta contra duellantes renovata fuerunt a Benedicto XIV. in Bulla: *Detestabilem.*

CASUS XXV. Cassianus commisit crimen, cui Excommunicationem ipso facto incurrendam per statutum Synodale annexam noverat. Hinc delatus ad Superioris tribunal ab Officiali excommunicatus fuit.

ꝛ. Actu & ipso facto jam erat excommunicatus ante sententiam iudicis, & pro tali se gerere debuerat, nec sine novo peccato Sacramenta Ecclesiae recipere poterat ante obtentam a legitimo Superiore absolutionem. Quod sententia iudicis ecclesiastici superaddit, consistit in eo, ut sic nominatim excommunicatus, ac ut talis declaratus debeat vitari, & si in hoc statu moriatur, sepultura ecclesiastica privetur. Hæc ad eos quoque extendi debent, qui præmissa trina monitione non respiciunt, sed primum post sententiam ab Officiali in contumaces pronunciatam: hi enim, etsi postea ad frugem redeant, Excommunicationis sententia tamen stringuntur. *Pontas.*

CASUS XXVI. Zenon probe Catholicus, ast timidæ admodum indolis, degebat in Anglia eo tempore, quo publica catholicos vexabat persecutio, ac, ne in carcerem abstraheretur, quod merito timendum, si suam manifestaret religionem, Presbyterianum se simulabat, cum ijs Ecclesiam adibat, ac publice actus religionis Calvinisticæ exercebat; licet in corde religionem catholicam foveret, Incurritne Excommunicationem contra hæreticos latam?

ꝛ. Peccavit quidem gravissime, Excommunicationem tamen non incurrit in foro interno; licet pro excommunicatione habendus sit in foro externo: pro solo enim actu interiori

teriori homo est perfectus hæreticus. Quia vero Ecclesia solum iudicat juxta actus externos, in foro externo, ubi juris præsumptiones attenduntur, Zenon tanquam excommunicatus habetur. *Pontas.*

CASUS XXVII. Gualterus audivit publicari monitorium Excommunicationem iis, qui notitiam commissi notabilis furti habentes ea, quæ sciunt, non revelarent. Gualterus noscit fures, & locum, ubi furtiva latent, & tamen indicare negligit.

ꝛ. Quæstionem hanc decidunt termini in monitorio adhibiti: aliquando enim simplex monitio habetur instar monitorii. Ut censuræ incurrantur, necesse est, ut monitorium his terminis utatur: nos excommunicamus vel nos excommunicatos declaramus, aut æquivalentibus. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Felix plenam notitiam cujusdam facti habet, ratione cujus actu monitorium in Paroecia publicatum est; id tamen manifestare non potest sine periculo gravissimi damni, vel personalis vel bonorum suorum: facti enim author ipse loci Dominus est, vir ad violentiam & vindictam pronus, & cujus Felix omnium vix non bonorum suorum debitor est.

ꝛ. Si factum, de quo in monitorio agitur, concernit bonum publicum, gravisque momenti est, quale foret seditio adversus Ecclesiam vel Rempublicam &c. tenetur Felix in conscientia id manifestare, non obstante imminente sibi damno; alias incurreret Excommunicationem. Si vero tantum agitur de bono privato, non tenetur cum gravi damno proprio ad manifestationem facti. Intentio Ecclesiae non est obligandi, ut quis in ejusmodi circumstantiis juxta præscriptum monitorii agat cum evidenti periculo damni proprii gravissimi. Idem sentiendum, si monitorium tangeret parentes, liberos, aut (saltem in casu periculi vitæ aut notabilis infamiae) fratres, sorores, avunculos, avunculas, nepotes, sanguine junctos, aut etiam eos, quorum in negotio consilium fuit exquisitum. Hujusmodi personarum detectionem non præcipit Ecclesia, ne fors jus naturale lætatur. *Pontas.*

NOTA. Circa hoc, an bonum publicum prævaleat privato, & circa mentem excommunicantis rationabiliter præsumptam Felix non fidat proprio iudicio, sed consulat Confessarium, vel alium virum doctum.

CASUS XXIX. Nicephorus sibi arrogando libertatem legendi pravorum libros incidit in errorem circa efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ.



g. Si in istum errorem incidit per suam simplicitatem, aut per suam ignorantiam, non incurrit Excommunicationem; si vero pertinax perseveret in errore, & alios pervertere studeret, Excommunicationem incurreret latæ sententiæ. Si libri, quos legerat, tales fuissent, quorum lectio sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibita est, & Nicephorus hujus notitiam habuisset, per solam illorum lectionem Excommunicationem incurrisset. *Pontas.*

NOTA. Ignorantia vincibilis coram Deo non excusat a peccato; & ignorantia affectata, *crassa*, aut *supina* coram Ecclesia non excusat a censura.

CASUS XXX. Anthimus, Diœcesanus Parisiensis, Parisiis degens, & oblectationibus deditus diebus festis & Dominicis solet frequentare spectacula histrionum & mimorum; die Pascatis cum Missæ parochiali interesset, & percipisset, Parochum excommunicare histriones, mimos & etiam eos, qui illorum spectaculis interessent, timore percussus quærit, utrum revera sit excommunicatus, aut an simplex tantum fuerit comminatio Ecclesiæ?

g. Si talibus spectaculis interfuit tempore Servitii Divini, revera incurrit Excommunicationem latam a Rituali Parisiensi. Si vero alterius foret Diœceseos, eam non incurreret. Cum autem hæc Excommunicatio non sit reservata Superiori, sic excommunicatus poterit absolvi a quolibet Presbytero approbato & jurisdictione in pœnitentem prædito. *Pontas.*

CASUS XXXI. Tetradius Dertonæ aut Placentiæ habitans vulnerato graviter ciye Dertonensi aufugit Vicentiam; & Episcopus Dertonensis re cognita contra eum processum instrui curavit, eumque licet absentem excommunicatum declaravit.

g. Si Tetradius Dertonæ habet domicilium, jurisdictioni Episcopi Dertonensis subiectus est; non vero, si solum Placentiæ. Quodsi Dertonæ habuisset quidem domicilium, huic autem per fugam renunciaisset, jurisdictionique illius Episcopi se subtraxisset, Episcopus iste non posset eum excommunicare, utpote non amplius subditum. Si tamen processus jam fuisset inchoatus Tetradio adhuc Dertonæ commorante vel in alio Diœcesis loco, sententiæ Excommunicationis non obstante, quod postea aufugerit, foret valida juxta regulam: *ubi delictum, ibi forum*. Item foret vere excommunicatus, si facinori huic fuisset annexa excommunicatio ipso facto incurrenda. Dantur casus, in quibus fictio juris quis est verus Diœcesanus, essi in Diœcesi non resideat, v. g. Canonicus, qui degit Frisingæ, habet Beneficium in Diœcesi

cesi Augustana; hic subjacet censuris Episcopi Augustani, si habet animum retinendi suum Beneficium, quin in Diœcesi Augustana residere velit. *Pontas.*

CASUS XXXII. Sergius a suo Episcopo excommunicatus est ob peccatum, quod iste Prælati existimabat esse mortale, cum tamen solum fuerit veniale.

g. Coram Deo Excommunicatio nulla est, & in foro interno non tenetur se illi conformare; in foro tamen externo tenetur abstinere ab omni illo, quod in tali occasione scandalum creare possit. *Medicus reputaretur crudelis, inquit Sylvius, qui membrum sanum, etsi levi defectu laborans, amputaret a corpore.* *Pontas.*

CASUS XXXIII. Theodorus Presbyter certus est, Excommunicationem contra se latam esse nullam.

g. Potest secreto celebrare, non enim æquum est, ut pœnas subeat Excommunicationis; nec etiam opus habet ulla absolutione. At si publice celebret, licet non incurrat irregularitatem, aut aliam pœnam Canonicam, peccaret tamen gravissime ratione scandali, quod daret in loco, ubi esset cognitus, & pro excommunicato habitus. Nihilominus fors & scandalum impedire possit, si scilicet publicaret causam Excommunicationis, sententiæque contra se latæ nullitatem ac injustitiam; quæ si ita probaretur, ut nec minimum cuiquam dubium superesse valeat, absque peccato juxta S. Antoninum, Sylvestrum & Navarrum functiones suas continuare posset, idque etiam publice. *Pontas.*

NOTA. Si excommunicatus sit ob crimen, de quo certus est, id se non commisisse, vera est responsio. Si autem non agatur de quæstione facti, sed de quæstione Juris, falsa est. Vide dicta in Prænot. num. 5.

CASUS XXXIV. Curtius, pauper, furatus est Mœvio 200. imperiales, quos brevi dissipavit: furtum hoc suum confessus est, & acceptata convenienti pœnitentia ab eo absoluitur hac conditione, ut, quamprimum poterit, restituat ablata, quod & promisit. Mœvius facti sibi furti rescivus, querelam detulit ad Tribunal, & effecit, ut publicaretur monitorium, quod juxta formam ordinariam denunciatum est contra eum.

g. Curtius non incurrit Excommunicationem; nec etiam dici potest, eum reum esse peccati mortalis per dilationem solutionis, eoquod eam præstare haud possit tempore designato in monitorio. Idem dicendum foret, si Mœvius post sententiam pronunciatam Curtio condonasset debitum, aut tempus restitutionis in monitorio determinatum prorogasset. *Pontas.*



**CASUS XXXV.** Acacius secreto furatus est Bertino, civi Tolosano prædixit, monetam auream hispanicam, *Pisole* dictam. Hic ex mera ostentatione apud iudicem quæstus dixit, sibi furto ablatam esse summam vicies majorem, quam reapse erat, & obtinuit publicationem Monitorii, quod denunciabatur contra furem & eos, qui furti notitiam haberent. Petrus certus est, Acacium non nisi superius dictam monetam furatum fuisse; ideo existimavit, se non teneri ad denunciandum furtum tam leve. Anne Acacius & Petrus excommunicati sunt?

ꝛ. Neuter eorum Excommunicationem incurrit. Tridentinum aliaque plura Concilia non permittunt usum Excommunicationis nisi in casibus summi momenti, & ubi agitur de damno gravissimo, quale non est ablatio novem florenorum respectu divitis. Quadrat huc illud: *quæ contra leges fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Pontas.

**CASUS XXXVI.** Episcopus Murciæ sub pœna Excommunicationis diocesanis suis prohibuit, ne ut testes assistant matrimonii clandestinis. Hoc non obstante Geofredus in gratiam amici hujusmodi matrimonio adstitit.

ꝛ. Non incurrit Excommunicationem, si mandatum Episcopi non statuit hanc pœnam *ipso facto* incurrendam. Pontas.

**CASUS XXXVII.** Episcopus Monasteriensis sub pœna Excommunicationis inhibuit Presbyteris suæ Diocesis accessum in tabernas sub his terminis: *qui tabernam frequentaverit, excommunicetur, vel subjiciatur Excommunicationi.* An Presbyter agens contra hoc statutum excommunicatus est *ipso facto*?

ꝛ. Utraque hæc locutio est æquivoca, & eo ipso in sensu mitiori sumenda; ita ut transgressor non censeri debeat excommunicatus ipso facto. *Interpretatione legum pœna mollienda sunt potius quam exasperanda.* Pontas.

**CASUS XXXVIII.** Stephanus suspectus valde de turpi commercio cum fœmina nobili erat; ideo ad instantiam parentum Episcopus Stephano sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ interdixit familiaritatem cum ista fœmina; ille obediens est. Verum mortuo Episcopo idem cum ea, ut prius, commercium habet.

ꝛ. Cum ista censura tantum ab homine lata sit, Stephanus iam post mortem Episcopi non amplius incurrit. Pontas.

**CASUS XXXIX.** Alphonfus ob commissum assassinium jam fuit excommunicatus.

ꝛ. Potest de novo excommunicari ob simile aut aliud crimen: iteratio enim censuræ juxta D. Thomam & Innocentium III. confusionem auget, & efficacius ad resipiscentiam incitat. Pontas.

NOTA. Effectus iteratæ Excommunicationis est strictior satisfactio & difficilior absolutio.

**CASUS XL.** Balduinus Clericus tonsuratus incurrit Excommunicationem majorem; sed tamen est toleratus, nec publice denunciatus.

ꝛ. Ipso jure est inhabilis ad aquirendum quodcumque demum Beneficium, sive per collationem, sive per electionem, sive per permutationem &c. Ita declaravit Innocentius III. Si tamen provisus fuisset de Beneficio ante Excommunicationem, provisio foret valida, dummodo fuerit absolutus ab Excommunicatione, antequam acceptet Beneficium & possessionem adeat. Non videtur autem privandus pensione Clericali. Quidam Authores, inter quos Cabassutius, censent, Excommunicationem antecedentem non reddere Clericum incapacem percipiendæ pensionis. Pontas.

**CASUS XLI.** Palamedes Prior per sententiam juridicam declaratus est excommunicatus.

ꝛ. Non potest ob censuram privari suo Beneficio, nisi accedat sententia peculiaris de hujusmodi privatione, ut colligitur ex Decretali Innocentii III. dicentis: *sunt Ecclesiasticis Beneficiis spoliandi.* Accedit, quod non reperitur Canon aut Decretalis, quæ hanc pœnam annexat meræ Excommunicationi. Et sic quoque testante Cabassutio decidit Rota. Pontas.

**CASUS XLII.** Rigerius resignavit Prioratum Jacobo, reservata sibi pensione. Jacobus postea excommunicatus & ut talis denunciatus negligit solvere pensionem; quam Rigerius per literas petit consueta formula subscriptas: *Tibi additissimus &c.*

ꝛ. Jacobus non incurrit Excommunicationem minorem sic scribendo, utpote juxta stylum usitatum verbis usus, quæ plerumque haud significant, quod exprimunt. Ad hæc agebatur de solutione pensionis, quam scriptoris formula ad leges solitæ humanitatis composita facilius obtenturum se sperare poterat Rigerius. Pontas.

**CASUS XLIII.** Chelidonius incurrit Excommunicationem notorietate publica ob crimen committum in conspectu frequentissimæ communis.